

tam presens etas, quam successura posteritas : Qualiter nos Wladislao illustri & strenuissimo Duci Bohemie ob insignia servicii & devotionis tam ejus, quam omnium Bohemorum merita honoris insignia, quibus avus & ceteri progenitores ejus Duces Bohemie beneficio imperialis excellentie ceteris Ducibus preeminebant, circulum videlicet gestandum concessimus, & post eum omnibus successoribus suis in perpetuum. Decernimus itaque, & irrefragabili lege statuimus, ut liceat prefato Duci Bohemie Wladislao illis temporibus, quibus nos coronam & diadema glorie portamus, in natiuitate Domini videlicet, & in Pascha, & in Penthecosten circulum portare, & amplius in festiuitatibus videlicet sancti Wenzlai, & S. Adalberti, eo quod illas solemnitates propter Patronos suos majori reverencia & celebritate veneretur. Sicut itaque celebratio & imposicio corone nostre non debent fieri, nisi per manus Archiepiscoporum & Episcoporum, ita prefato Duci Bohemie a nullo hominum circulus imponatur, nisi a dilecto nostro Daniele venerabili Pragensi Episcopo, & Iohanne Olomucensi Episcopo, eorumque aliis successoribus. Quodsi forte Olomucensis defuerit, nichilominus Pragensis pro sede & dignitate excellenciori vicem compleat amborum. Similiter autem Olomucensis, si forte Pragensis defuerit. Ad hoc predicto Duci Bohemie & successoribus ejus addimus & concedimus censum de terra Polonie, quem antecessores ejus Duces Bohemie a Polonis retro actis temporibus accipere solebant. Ut autem hec nostra donacio & constitucio supra nominato Duci Wladislao carissimo nostro ejusque successoribus omni tempore rata &